



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 30. Caroli VII. Regis liberi

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

**S**æcul. XV. clesiae strenue allaboravit, tantaque pietate eminuit, ut nullis decimis Ecclesias A.C 1461. onerari pateretur. Regi huic cetera laudatissimo id vitio jure vertebatur, quod ob nimiam indolis suæ facilitatem suorum familiarium ac meretricum arbitrio deserviret. Postremis vitæ suæ diebus animi erat timore pene exanimati, atque incredibili diffidentia, ac suspicionum turbine agitabatur. Nec tamen ea obstant vitia, quin semper tanquam Princeps æterna memoria dignus suspici queat: Polydorus Virgilius encomiorum summam paucis hisce verbis complexus, eum vocat, *Gloriam Francorum, & Restauratorem Regni.* Ceterum mundo valedixit annos natus quinquaginta novem, menses sex, postquam Regni habenas annis triginta novem, novemque mensibus moderatus fuerat.

*Hist. Angl.*  
*lib. 23.*

## §. XXX.

*Caroli VII. Regis liberi.*

**E**x Maria Ludovici II. Andegavensis Ducis Filia Conjuge sua undecim legitimos suscepit liberos, nimirum filios quatuor, & septem filias. Non nisi duo ex Filiis provectam attingebant ætatem, Ludovicus Delphinus, Regis Successor, & Carolus, quem, nisi eum præmatura mors vivis eripuisset, Pater ejus Regni hæredem

dem nominare meditabatur; Filiae erant Radegundis, quæ Sigismundo Austriae Duci & Friderici V. primogenito filio jamjam desponsata fuit, sed prius mortalitatem exiit. Altera erat Jolanda, quæ Amadæo Sabaudiae Duci connubio jungebatur; tertia fuit Catharina Caroli Burgundiae Ducis uxor; Joanna vero Joanni II. Borbonio Duci nupserat; Magdalena denique Gastoni Vianæ Principi & Fuxensi Comiti in matrimonium collocata fuit. Reliquæ autem duæ Filiae gemellæ Joanna & Maria necdum infantiae annos egressæ obierunt.

Sæcul. XV.  
A.C. 1461.

## §. XXXI.

*Exequiæ Regis in Ecclesiis ad B. V.  
& S. Dionysium Parisiis celebratæ.*

Corpus Regis Magduni expositum mansit usque ad feriam quartam, seu quintum Augusti diem, quo ad Ecclesiam Cathedralem Lutetiam delatum est. Suppeditabat funeris expensas potissima ex parte Tanneguyus Castellio Nobilis Brito, qui nobilium Cubiculariorum Princeps, a Carolo olim ad proprias ditiones relegatus fuit. Hic comperta Regis morte, quantocius accurrebat, nullisque sumptibus parcebat, ut Principis sui corpus solemniori, qua potuit, pompa Lutetiam Parisiorum deduceretur. Referunt

Joan. Chart  
histor. Ca-  
rol. VII.